

The Electronic Manipulus florum  
[www.manipulusflorum.com](http://www.manipulusflorum.com)

Laus ak  
cum fonte primo

Non laudatur de fide leprosus quia in lege  
doctus; hic alienigena scilicet centurio  
laudatur quia legis ignarus.

[fons nondum repertus]

In modico enim sermone sapiencie  
plus laudatur rusticus quam in magno  
philosophus;

et  
puer, si aliquid dixerit sapienter,  
laudatur ubi perfectior non auditur.

Crisostomus super illud Matthei VIII.:  
Audiens Ihesus miratus est et cetera.

Puta, si rusticus aliquod verbum sapienter  
loquatur, philosophus multo amplius  
sapienter:

in modico sermone sapientiae  
rusticus plus laudatur, quam in magno  
philosophus:  
quoniam rusticum dicere aliquid  
sapienter, magnum est: philosophum  
autem dicere sapienter, non est mirum.  
Aut  
si puer aliquid astute loquatur,  
dicimus, Satis sapiens puer: si autem vir  
perfectus sapienter loquatur, non laudatur  
quasi sapiens: non quia puer plus sapuit  
quam perfectus, sed quantum ad  
comparationem aetatis suae sapientior  
videtur esse, quam ille perfectus.

Pseudo-Chrysostomus, *Opus imperfectum*  
*in Matthaeum*, 22 (PG 56, col.753-4).